

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Johannis Segeri Weidenfeld De Secretis Adeptorum Sive Usu Spiritus Vini Lulliani Libri IV**

**Weidenfeld, Johann S.**

**Londini, 1684**

111. Aqua rubra noctu lumen emittens

[urn:nbn:de:bsz:31-96282](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-96282)

### III. Aqua rubra noctu lumen emittens secundæ descriptionis Isaaci,

*Cap. XLIV. Oper. min. Pag. 458. Vol. 3. Th. Chym.*

℞. **V**itrioli Romani libras tres, Cinnabaris, viridis æris, Cerussæ, ana libram semis, croci ferri, lapidis hæmatidis uncias quatuor, sal nitri tantum, quantus est cumulus totus (*libras quinque*) pulverisa & probè inter se permisce, divide cumulum in tres partes, atque ex una parte fac aquam fortem, quam super pulverem alterius partis fundes, destilla iterum aquam fortem, eam super tertium pulverem funde, & Aquam illam fortem superdestillato, quo factò omnia tria capita mortua pulverisa.

℞. Aquam salis armoniaci, quam infrà te docebo conficere (*nos autem modò dedimus sub No. 81.*) qua tam subtiliter prædictum pulverem contere, ut eò pictor pingere queat: Tum siccandum in tua stupa sicca pone, siccescere sine in patinis vitreis, siccatum contere siccè super lapide, & ollæ vitreæ indito, atque Aquam fortem (*superiùs destillatam*) superfundito, destilla primum igni lento 24 horas, tum auge adhuc (*ignem*) per 24 horas, tum etiamnum augeas donec eandere incipiat, his elapsis in eodem candore etiamnum ad horas sex, post finas refrigescere, ab igne removeas, receptaculum probè obturans. Tum caput mortuum pulverisa, & contere super lapide cum aceto destillato, & educito sal aut elementum terræ ex fæcibus; sal ollæ vitreæ indito, aquam tuam fortem superfunde, alembico & receptaculo probè operto, vitrum in arena pone in cacabo cum aqua (*balneo*) destillato quicquid destillare vult, cum ampliùs non destillat, finas balneum bullire diem & noctem sive skillet sive non: Tum finas refrigescere, removeas ab igne, ponas in cineribus, adhibe primum ignem pusillum ad horas 12, tum ignem adhuc auge horas 12, post finas modicè candere, atque ità ad sex horas finito; deinde refrigescat, remove ab igne, ac probè operi, & sumptis fæcibus aut sale, contere ea minutim cum aceto destillato, inde  
amphoræ

amphoræ lapideæ, & bona parte destillati superfusa, pone in balneo, ita faciens ut suprâ doctum est, vide ac adhuc fæces habeat, & sal clarum facito; ollæ vitreæ rursum inde, iterum aquam superfunde, facito modis omnibus ut suprâ, ter quaterve, atque omnis materia tua aut terra cum aqua forti destillabit; tum ab igni remove, probè obtura, & benè serva. aquam enim pretiosam habes præ omnibus aquis de quibus unquam audivi. Ac mihi crede bona fide, de hac aqua mira vidi, atque etiam ipse mira feci. Hanc Aquam ad rubrum lapidem cristallinum reduxi, qui noctu lumen emitteret, ut frequentes convivæ convivium eo peragerent. Serva bene ad usum, & pro secretissima aqua omnium quas habes, habeto.

*Methodus conficiendi ejuscemodi menstrua lucentia magis concinnè perspicitur ex sequenti aqua.*

## 112. Aqua fortis rubra & lucentia descriptionis Isaaci,

*Cap. LXXII. 1. Oper. min. Pag. 354. Vol. 3. Th. Chym.*

Rx. **V**itrioli clarificati, & à fæcibus purificati, sal nitri, ana.  
 Ex his Aquam fortem destilla secundum artem. Tunc caput mortuum ex olla vitrea sume, & tenuiter pulverisa, tum contere super lapide, tum in aqua communi destillata impone, atque omne sal extrahi finito, tum per filtrum deprome, ut mundum à fæcibus habeas; congela denuò, cumque congelatum est, pulverem impalpabilem inde confice, eumque pulverem ollæ vitreæ immitte, atque ibi aquam illam fortem denuò super pulverem funde quam inde destillasti, ac pone iterum destillandum, & destilla quicquid destillare vult. Tum caput mortuum iterum exime, atque in pulverem contunde, ut prius, ac modis omnibus ut suprâ facito. Hocque opus itera tamdiu, donec sal omne cum aqua forti omninò destillaveris. Tum Aquam præstantem habes rubram lucentem de nocte instar ignis lucidi. Tum Aquam illam sumptam in balneo rectificata, identidem destillando ac denuò superinfundendo, ita ut ad extremum omne destillatum ex balneo habeas. Tum aqua tua  
 pre-